



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. Refellitur Vbiquitas corporis Christi, quia repugnat symbolo Apostolico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

Denique moueri propriè non potest intelligi sine non loci adeptione, igitur Christus si erat vbique, non poterat verè moueri, sed solùm apparenter. Et proinde, sicut ex motu Dei metaphorico non probatur, Deum esse creaturam, ita ex motu Christi, qui solùm metaphoricus esse potuit, non poterat rectè colligi, Christum esse hominem. Et constat ex responsionibus aduersariorum, qui cum volunt obedi- dere, non pugnare cum Vbiquitate motum corporis Christi, probant, quia etiam de Deo dictum est, Gen. 11. *Descendamus & confundamus linguam eorum.* Et Gen. 19. *Descendam & videbo, &c.* Ita enim Brentius in libro de maiestate Christi hominis ratiocinatur. Fatentur igitur ipsi, non aliter posse moueri de loco ad locum Christi humanitatem, quam possit moueri Deus.

CAPVT XII.

Refellitur Vbiquitas corporis CHRISTI, quia repugnat Symbolo Apostolico.

DEINDE pugnat Vbiquitas cum articulis Symboli de Christi Conceptione, Natiuitate, Mortu, Sepultura, Descensu ad inferos, Resurrectione, Ascensione, & Descensu ad iudicium.

AC PRIMVM cum CONCEPTIONE; nam fides habet, in foetus MARIAE vtero fuisse carnem CHRISTI. At secundum Vbiquitas mox à Conceptione fuit illa caro in vteris omnium mulierum, immò & virorum, & proinde illa laus communis est omnibus: *Beatus Venter, qui te portauit.* Luc. 11. Irasides docet, Christi corpus post nonum mensem produsse in vtero in lucem, & sic verè esse natum. At secundum Vbiquitas, ante nonum mensem, immò primo die Conceptionis fuit extra vterum, & post decimum mensem adhuc erat in vtero, immò inde nunquam exiit.

DICENT, exisse, quia localiter erat in vtero, & non in vteris omnium: & postea fuit localiter extra vterum, & non in vteris omnium. AT CONTRA, quia istud esse localiter, nihil videtur esse aliud, quam apparentia quædam, sicut cum Deus, qui est vbique, in certo loco apparet. Nam si verè ab ipsa Conceptione Christi

Si caro fuit præsens omni loco, non potuit verè aliquò proficisci, sed tantùm ostendi (vt supra diximus) vbi antea non videbatur. Natiuitas igitur non fuit vera, sed apparens, vt Manichæi dicebant.

Item fides requirit, vt in morte Christi corpus & anima separata fuerint, & corpus quidem in sepulcro iacuerit, anima ad infernum descenderit. At secundum Vbiquistas, in sepulcro etiam erat anima cum corpore, & in inferno erat caro cum anima.

Et ne multum laboremus in probando, auctores CONCORDIÆ in repetitione articali non dicunt, se credere, quòd post sepulturam CHRISTI tota persona Deus & homo descenderit ad inferos. At certè si homo ad inferos descendit, non sola anima descendit.

Item fides tradit, CHRISTI corpus post tres dies à morte rediisse ad vitã, & exisse de monumento clauso, & intrasse ad discipulos ianuis clausis, quæ notantur ab Euangelistis tanquam miracula. At secundum Vbiquistas, nunquam exiit Christus de sepulcro: nec intrauit ad discipulos, sed manifestauit solùm se extra sepulcrum, quamuis ibi manserit inuisibiliter; nec mirum villo modo fuit, quod scribit Ioannes de ingressu Christi ad discipulos ianuis clausis, quandoquidem non verè intrauit ianuis clausis, sed tantùm fecit se visibilem in loco, vbi erat inuisibiliter. & tamen BRENTIUS vrget hæc miracula contra Zuinglianos in libro de maiestate hominis Christi; & eadem afferuntur in libro Concordiæ, pag. 718.

Deniq; fides habet, Christum ascendisse in cœlum, & inde venturum ad iudicium: at secundum Vbiquistas, nec ascendit, nec descendit.

Respondent ad hoc de Ascensione, in articulo Symboli de Ascensione in cœlum, nomen cœli, accipi figuratè, non propriè, & solùm significare gloriam, regnum, & maiestatem Dei, non autem certum aliquem locum. Et probat id ILLYRICVS in lib. de Ascens. Christi. PRIMO, ex verbis Petri, Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere.* nam si sermo esset de loco, dictum esset, *Quem oportet cœlo recipi.*

SECUNDO probat ex ipso Symbolo, nam quid sit, *Ascendit in cælum*, explicatur per verba sequentia (*sedet ad dexteram Patris*) hæc autem sunt metaphorica verba. Nec enim

Pater habet propriè dexteram, aut sinistram, igitur etiam ascensio in cœlum metaphoricè accipi debet.

TERTIO, si Christus verè ascendisset in cœlum hoc corporeum, debuisset permittere, immò imperare discipulis, ut viderent quomodo ipse ascenderet vsque ad summum cœlum, & ascendendo perfringeret stellas & globos illos cœlestes, ut id testari possent toti mundo: quod tamen non factum. Et addit, more suo, umbras verberans, & tamen triumphans; *Profectò ista est planè inuisita demonstratio contra istorum localitatem Christi in cœlo inclusi.*

BRENTIUS autem in libro de duabus naturis Christi, de ascensione, idem probat. PRIMO, quia Christus dicitur supra omnes cœlos ascendisse. Ephes. 4. *Ascendit super omnes cœlos.* Hebr. 4. *Penetrauit cœlos:* Non ergo, inquit Brentius, hæsit in aliquo. Hebr. 7. *Excelsior cœlis factus.* Non est ergo Christus in cœlo ut in loco.

SECUNDO, quia si esset in cœlo corporeo, deberet esse in polo antarctico. Nam debet esse in loco quieto, alioquin valde malè se haberet in illa perpetua agitatione, soli antarctici sunt immobiles, ergo debet esse in altero polo, & in puncto consistere: polus autem Antarcticus est superior secundum Aristotelem, & arcticus est inferior; igitur in antarctico polo Christus locandus est. Et confirmat, quia si in cœlo corporeo esset, quò se reciperet, quando cœlum destrueretur? Ita nimirum filios tenebrarum iuuat ludere, & iocari de mysteriis Christi.

TERTIO, probat in alio libro de Maiestate Christi, quia Christus ascendit in cœlum illud ex quo descendit. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* & Christus descendit de cœlo corporeo, igitur nec ascendit in cœlum corporeum: sed sicut metaphoricè dicitur descendisse, quando *exinanivit semetipsum;* ita metaphoricè dicitur ascendisse, quando *Deus exaltauit illum,* & *dedit illi nomen, quod super omne nomen.*

At Catholici credunt, Christum in verum cœlum corporeum ascendisse, siue maneat intra ipsum cœlum, ut vident sentire S. AVGVSTINVS epistola quinquagesima septima ad Dardanum, vbi dicit in fine epistolæ, Christum esse vbiq; ut Deum, & in aliqua parte cœli propter veri corporis

dum; siue maneat supra, & extra omnes cœlos, ita vt pedibus tangat conuexum summi cœli, vt vult beatus Thomas in 3. part. quæst. 57. artic. 4. Ista enim non sunt certa, nec necessariò cognoscenda. immò etiam monet Augustinus de Fide & Symbolo, cap. 6. curiosissimū esse & superuacaneum id quærere.

Illud est certum, Christi corpus nunc esse visibile & palpabile, & tantum spacium occupare, quanta est moles corporis, & esse in cœlo isto corporeo, siue sit intus, vt aliquis dicitur esse in domo, siue supra, vt aliquis dicitur esse in tecto. Et probatur PRIMO, quia Christus ad illud cœlum ascendit, vbi est sedes Dei, illud autem cœlum corporeum est, vt patet ex Psalm. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filius hominum.* vbi cum opponatur cœlum terræ, & terra propriè accipiatur ista corporea quam calcamus, certè & cœlum propriè accipi debet. Isaia 66. *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* Itē Matth. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Et cap. 6. *Pater noster qui es in cœlis.* Et infra: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Vides vbi cœlum dicitur sedes Dei, semper opponi terræ, quam nos habitamus. Quæ anthiteſis apertissimè docet, cœlum istud corporeum, quod supra nos cernimus, sedem esse Dei, ac proinde ad hoc cœlum Christum ascendisse.

SECUNDO, idem probatur ex historia ascensionis, quæ ita describitur in Scripturis, vt non possit vlllo modo per tropos euerti, nisi quis planè impudens esse velit. Act. 1. *Videntibus illis, inquit Lucas, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Huc vsque non est locus tropis. nam Apostoli viderunt eum, euntem vsque ad nubes, quæ autem videntur corporea sunt, nisi fortè præstigiatores faciãt Christum. Quod autem terminus ac finis illius veri motus non esset nubes, patet Luc. 24. *Et factum est, inquit, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Christum autem verè eò peruenisse, quod ibat, testatur Marcus cap. 16. *Et Dominus quidem, inquit, Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Itaq; narrat Euangelistæ initium, progressum, & finem ascensionis. Initium autem fuit verum ac proprium non metaphoricum, non

phantasticum, igitur & progressus & finis vera, ac propria fuerunt; verè igitur ac proprie Christus ascendit in cælum.

TERTIO, id probatur ex descensu de cælo ad iudicium; nam ad iudicium de eo cælo descendet, ad quod ascendit, ut habetur Act. 1. *Ita Veniet, sicut vidistis eum euntem in cælum.* Matth. 24. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo.* 1. Thess. 4. *Ipsè Dominus in iussu, & in voce Archàngeli, & in tuba descendet de cælo.* 2. Thessal. 1. *In revelatione Domini de cælo.* At certum est, Dominum non descensurum de cælo metaphoricè, ita ut descendere de cælo sit relinquere Gloriam, Regnum, & Maiestatem, quin potius tùm maxime apparebit in maiestate & potestate magna, igitur cælum vnde descendet, non est Regnum & Maiestas, sed locus quem, ergo ad locum etiam quendam ascendit.

QUARTO, probatur ex loco Sæctorum. Nam ibi est homo Christus, ubi sunt, & erunt sancti homines, Ioan. 14. *In domo Patris meæ mansiones multe sunt, si quo minus dixisset vobis, quia vado parare vobis locum, & si abiero, & paravero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meum, & vbi sum ego, & vos sitis.* At Sancti non erunt ubique in certo loco; & si in certo loco, certè in nobilissimo, illud in cælo, ergo & Christus homo in eo loco est, & erit.

Denique hæc est sententia omnium Sæctorum, & patet apud AUGUSTINI epist. 57. ad Dardanum, ubi eum docet, ut recolat Symbolum, & simpliciter credat, Christum hominem post resurrectionem veram verè ascendisse in cælum, atque ibi in certo loco nunc esse. Et libro de Fide & Symbolo, cap. 6. scribit, licet Ethnici mirentur, quomodo corpus Christi in cælo esse possit, tamen verè ita credendum esse, quod idem docet in libro de agone Christiano, cap. 25. *Negationes in contrarium aliquid probant.*

Ad PRIMAM ILLYRICI dico, sententiam Peritè minime esse ambigam tam Græcè, quàm Latinè, sed quocunque modo exponatur, non sequi quod ipse vult; nam legamus, *Quem oportet cælum suscipere*, ut sensus sit, *Oportet ut cælum suscipiat Christum, ut locus locatum, tunc sententia est pro nobis.* Si verò sensus sit; *Oportet ut Christus suscipiat cælum, tunc etiam non erit contra nos.* Nam ut Christus suscipiat cælum, non est necesse ut Christus suscipiat

fusus per totum cœlū, sed satis est, vt sit in aliqua parte cœli, sicut dicitur Rex suscipere regnum, vel palatium regale, vel thronum regium, quando incipit esse in regno, vel palatio, vel throno, etiamsi non sit præsens reipsa toti regno, vel throno, vel palatio. PRIMAM tamen explicatio est magis cōueniens textui; nam dicitur; *Quem oportet cœlum suscipere* &sq; ad tempora restitutionis omnium, vbi non indicatur acceptio possessionis regni, quæ in momento fit, sed mansio in loco, quæ longo tempore durat, & hoc modo exponit Oecumenius. Est etiã conformior aliis locis, quæ dicunt, Christum assumptum, vel eleuatum in cœlum, Marci ult. & Act. I. & profectum in cœlum, I. Pet. 3.

Ad SECUNDAM rationem, nego idem esse, ascendere in cœlum, & sedere ad dexteram Dei; nam in Symbolo non debet aliquid repeti, cū sit breuissimum compendium. Quid autem sit sedere ad dexteram Dei, dicemus postea.

Ad TERTIAM dico, non fuisse opus, vt Apostoli viderēt Christum penetrantem omnes cœlos; nam si non habemus eorum testimonium de hac re, habemus testimonium Angelorum, qui Act. I. apertè indicârunt Iesum assumptum in cœlum, & eadem forma descensurum ad iudicium; immò conuenientius fuit, vt non viderent finem ascensionis illius, tum ne putarent esse illusionem, quãdoquidem naturaliter non potest eò pertingere visus humanus, tum vt fides etiam in ipsis locum haberet, sicut etiam non viderunt Christum incarnati, nasci, resurgere, immò nec mori, excepto Ioanne, & tamen futuri erant prædicatores, & testes primi & præcipui, omnium mysteriorum fidei Christianæ.

Ad PRIMAM Brentij dico, inde probari sententiam sancti Thomæ, videlicet, quòd Christi corpus sit supra conuexum vltimum cœli, non autem quòd nusquam sit persona conspicua. Quamquam nec sententia sancti Thomæ planè conuincitur ex illis locis, responderi enim potest, ascendisse Christum super omnes cœlos, & excelsores cœli factum, & penetrâsse omnes cœlos, quia est in parte suprema vltimi cœli, atque ita habet sub pedibus summum cœlum pro maxima parte. Immo locus Hebr. 4. fauet sententiæ Augustini, nam Paulus Hebr. 4. alludit ad Pōtificem Aaronicum, qui penetrabat singulis annis vsque ad interiora velami-

velami-

velaminis, & ipsa Sancta sanctorum, sed non ultra illa progrediebatur. Ita ergo & Dominus, ut cœlestis Pontifex, penetrauit vsq; ad intimum recessum summi cœli, sed non ultra progressus est, nec extra ipsum cœlum mansit.

Ad SECUNDAM dico, illa esse verba otiosa Brentij, nec ullam blasphemam, cum in iocum conuertat mysteria diuina. Sed ne & ipsi ioci noceant, respondemus, Christi corpus non redigi ad angustias poli antarctici; sed esse in qua parte voluerit, nec periculum esse agitationis, cum cœlum empirium quietum ponatur ab omnibus; nec illud sit periturum, licet inferiores cœli sint aliquo modo immutandi. Sed hæc omnia superant modum intelligentiæ huius vitæ. Sicut enim Augustino, lib. vlt. ciuit. Dei, cap. vlt. scire, in cœlo habituros corpora gloriosa statum & motum prout voluerint, sed omnino decentem.

Ad TERTIAM dico, Christum ascendisse in cœlum, ex quo descendit. Porro autem ex vero cœlo descendisse, licet metaphoricus fuerit ipse descensus, nec tamẽ inde sequentium ascensum debere exponi metaphoricè, si descensus sit metaphoricus; nam descensus fuit Verbi increati spiritualis, & immensi, ascensus fuit carnis corporeæ creatæ & finitæ.

CAPVT XIII.

Refellitur Vbiquitas, quia repugnat præsentia corporis Domini in Eucharistia.

TERTIO PVGNAT Vbiquitas cum ipso Sacramento Eucharistiæ, pro quo stabiliendo est cogitata. Nam si caro Christi est vbique, cerere non egemus Eucharistia; & frustra imus ad templum, frustra recitamus verba cœnæ, frustra paramur ad illam, nam, cum domi habeamus in pane, & vino, & aliis omnibus cibis, corpus Christi.

LUTHERVS in libro, quod verba Christi, *Hoc est corpus meum*, adhuc firma stent, obiicit sibi hoc argumentum, his verbis: *Si corpus Christi est in omnibus locis, agedum deuorabo, & belluabor ipsum in omnibus hospitibus, et in omnibus forcellis, poculis, cantharis.* Respondet autem sic: *Audi tu potes, cum*